



Gr. c B. 53

Alteu. Sammelbd!

Philosoph. Teil
B. 47.

ak

37

Q. D. B. V.

PROGRAMMA,

Quo

REVERENDISS. ET GE.
NEROSISSIMOS DOMINOS
PATRONOS,

& reliquos

DNN. MÆCENATES, FAUTORES, ET BONA-
RUM LITERARUM ÆSTIMATORES,

Ad

ACTUM ORA-
TORIUM,

De

CLAGENFURTINO
JUDICIO,

In crimine furti,

Die 17. Novembr. Anni M. DCC. X.
in Schola Michaëlitana

*A XII. ingenuis, & præclaræ spei discipulis,
quorum nomina pagina sequenti legantur,
publice habendum.*

Officiose & peramanter invitat

Eberhard Joachim Elfeld, Rector.

LUNÆBURGI, Literis Johannis Sternii,

K 39.

G. D. R. V.

PROGRAMMA

REVERENDISSIMO DOMINO

HENRICH BALSANUS

JOHANNES BALSANUS

ONIS MATHIAS

JOHANNES BALSANUS

CAROLUS JOHANNES BALSANUS

ACTUM

CLAUSEN

JUDICIO

Die 17. Novembris anni M. DCC. X.

in Schola

M. XII. regni

procurator

publicus

Officiale

Eberhard Joschim

ELNEBURG



Nomina discipulorum,
qui in hoc actu declamabunt :

HENRICH BALEMANN, Kirchvverdera Lubecensis.
JOHANN FRIEDERICH BRAND, Sulza Cellenfis.
CHRISTIAN MOELLENHOFF, Lubecensis.
HIERONYMUS CHRISTOFF SYRING, Luchoviensis.
JOHANN HENRICH REMMERS, Brunsvicenfis.
CAROL JOHANN ERNEST BOLLMANN, Diftorfio-March.
AUGUST FRIDERICH CARTIER, Ploenenfis Holfatus.
GEORG JOACHIM OPPERMANN, Dorffmarca Cellenfis.
FRANCISCUS WILHELM FRANCKEN, Wilhelmüburgo-
Harburgenfis.
JOHANN WILHELM REINBECK, Luneburgenfis.
AUGUST HENRICH BROMBERG, Luneburgenfis.
PAUL WILHELM TAMM, Otterndorffio-Hadelenfis.



L. B. S.



A, quæ vulgi sermone de Clagenfurtini iudicii forma, à foro nostro abhorrenti, in crimine furti, jactantur, non omnino falsa fictaq; esse videntur : imprimis si non tam in lubrico hoc fundamento, in quo, velut in stipula, sæpe numero Babyloniam turrim exstruit stulta hominum credulitas, acquiescere; quam aliquanto altius hanc historiam repetere, & auctores, qui priscis temporibus eam literarum monumentis consignatam nobis reliquerunt, consulere velimus.

Sic enim Æneas Sylvius Senensis, vir multis ingenii monumentis imprimis clarus, in Commentario suo de Europa, Anno 1458. primum edito, cap. 14. de Carinthia, hanc historiam narrat.

Est provinciæ hujus consuetudo in oppido, quod Clagenfurtinum appellant, contra fures durissima. Si quis in furti suspicionem inciderit, mox captus laqueo suspensus vitam finit. Sumto supplicio, de suspitione judi-

judicant. Si reum fuisse jure necatum inveniunt, pendere cadaver infame sinunt, donec sua sponte consumtum decidat: sin in fontem reperiunt, depositum in cimiterio condunt, justumq; funus e publico faciunt, & animæ gratas exequias.

Equidem laudatus Æneas, qui Imperatoris Friderici III. Austriæ & Carinthiæ Archiducis, ab epistolis fuit, eaq; propter consuetudinum, quæ in Carinthia suo avo obtinuerunt, ignarus esse haut potuit, instar omnium nobis esse possit: tamen præter hunc alios in historiæ fidem allegare licet. Nam Sebastianus Munsterus eandem historiam, iisdem verbis conceptam, in Cosmographia narrat. Johannes Boëmus hanc judicandi formam, in crimine furti, Clagenfurti fuisse, memorat. Franciscus Belloforestus ejusdem consuetudinis in Cosmographia sua mentionem facit. Wolff, Lazius eandem historiam in tractatu de migratione gentium confirmat. Ut tacitus præteream Petrum Mexiam, & complures alios, quorum hic nominandi non est locus.

Nec desunt, nostro avo, qui eandem historiam iisdem verbis conceptam lectori exhibeant. Ex multis nominare possum radians quondam Altorfinae Academiae sidus, Johannem Christophorum Wagenfeilium, qui in Synopsi Geographiæ ex Volaterano ejusdem rei memoriam repetit: nominare possum Clarissimum Dominum Hubnerum, Gymnasia Martisburgensis Rectorem, qui in historia Carinthiæ ejus rei mentionem

injicit; nominare deniq; possum eum, qui ante paucos annos memorabilia Geographica collegit.

Ast Hieronymus Megiserus, Archiducis Austriae, Caroli, historiographus in Annalibus Carinthiae, Anno 1612, Francofurti editis, hujus historiae veritatem non solum in dubium vocat, sed etiam anilem fabellam appellare audet, laudatum Æneam, cujus auctoritatem in aliis magni aestimat, id, quod per ludibrium à quodam in Clagenfurtensium opprobrium sit confictum, pro vero accepisse, causando. Equidem si tam facile esset, historiam a tot Auctoribus, fide dignis, confirmatam confutare, non video, quid in veterum monumentis posthac certi relinquatur, cui fidem, sine oppositi formidine, habere queamus. Sed, quia nostro nos pede & modulo metiri didicimus, nostrum non esse arbitramur, tantas componere lites. Hoc tamen nullo modo tacitus præterire possum, Annales Carinthiae Megiseri, invita & stomachante Carinthiae nobilitate in lucem prodiisse; propterea quod multis erroribus scateant, & non pauca, quæ ad hujus ducatus historiam pertineant, sint omissa. Qua de re videri poterit Topographia Austriae Zeileri. Succensusuerunt fortasse Carni, & stomachi sui fastidium in audacia Megiseri omnibus notum esse voluerunt, quod hanc quoque historiam de judicio Clagenfurtino, in crimine furti, cujus occasione primum reliquis Europæ incolis innotuerunt, annalibus suis indignam existimaverit. Interim, si quis conjecturæ hic locus esset, affirmare ausim, salvo tamen aliorum, qui longius

longius prospiciunt, iudicio, hanc consuetudinem Clagenfurti antiquissimis temporibus obtinuisse; sed postea, ubi jura communia Romana valere in Germania iussa sunt, sensim, cum aliis priscis Germaniæ juribus, consensisse; accedente vario Magistratum consensu & dissensu, uti Schottelius, veterum Germaniæ consuetudinum non ignarus, in singularibus & antiquis Germaniæ juribus & observatis iudicat: &, vel post tempora Maximiliani primi, qui primus omnium iudicium Camerale instituit; sublatis juribus consuetudinariis & statutariis cujuslibet loci, quæ quidem ab æquitatis regula longius abirent, cum tempore expirasse; vel demum à Carolo V. gloriosissimæ memoriæ, post novam iudicii formam in criminalibus introductam, plane abrogatam esse. Sed quicquid est, fides sit penes auctores, qui hanc iudicii formam, in crimine furti, olim Clagenfurti viguisse, recensent. Nobis sat erit, hanc materiam ad adolescentes nostros in eloquentiæ studio exercendos accommodasse: à Joachimo Camerario, in vita Æsopi, admonitis, non magnopere esse requirendum, quid in huiusmodi narrationibus, (quæ ad adolescentiam in scholis exercendam adhibeantur,) verum; sed quid aptum & facetum, & ad utilitatem aliquam audientium compositum sit. Discipuli etiam nostri satis habebunt, dum occasione hujus historiæ, orationibus in genere Deliberativo, Demonstrativo, Judiciali, & Didascalico conscriptis, quæcunq; industriæ suæ specimen edere, & memoriam linguamq; exercere possint.

auspiciis

In

In PROLOGO.

Franciscus Wilhelm Francken totius actus argumentum, hoc est, historiam de Clagenfurtini iudicii forma, in crimine furti, ex Ænea Sylvio Senensi recitabit, & Commilitonibus suis audientiam faciet, iudicium publicum Clagenfurtinum, pro sua tenuitate, repræsentaturis.

PRÆTOR.

Johann Wilhelm Reinbeck, necessitatem iudicii habendi sibi impositam esse, dicet, propterea quod furtum in Gregorii Polyplusti ædibus, nocturno tempore, fit commissum, cuius suspicio in Cajum Lentulum cadat. Communicato deinde cum iudicii Præsidi & Assessores, qui interloquentur, consilio, Fiscali causam committet, ut C. Lentulum publice coram iudicio accuset.

FISCALIS.

Christian Möllenhoff Cajum Lentulum variis argumentis conjectatoriis furti reum aget, &, ut pœnas, tanto facinore dignas, pendat, iudices implorabit; ne quis in posterum, huius exemplo impune abeuntis se peccasse, gloriari possit.

ASSESSOR PRIMUS.

Hieronymus Christoph Syring boni & misericordis iudicis personam aget, &, ubi cum Præsidi consilia

con-

contulit, rogabit, ne, quod in aliis provinciis fieri confuevit, causa de die in diem ducatur, aut in annum producat; sed potius horæ momento cita mors veniat, aut absolutio læta.

ACTUARIUS.

August Friderich Cartier jussu Prætoris sententiam, de C. Lentulo in judicio latam, quod nimirum jure meritoque in suspicionem furti adductus, & ad ultimum supplicium sit condemnatus, ex scripto recitabit.

HERACLITUS.

Georg Joachim Oppermann habitu Philosophico indutus, extra judicium, libera statione sumpta, de C. Lentuli fato queretur; & hypothesi ad thesin translata, omnes omnino homines miseros & infelices esse, inter gemitus & lacrymas, docebit.

PRÆTOR.

Johann Wilhelm Reinbeck, sumpto de C. Lentulo supplicio, iterum deliberabit cum iudicibus, quid porro facto opus sit; &, consentiente Præside & Assessoriibus, Advocato rei defendendi potestatem faciet.

ADVOCATUS.

Carol Johann Ernest Bollmann reum pro virili parte defendet, omnes conjecturas, quæ ad movendam augendamque furti suspicionem in famam & vitam innocentis

B

tis

tis Lentuli, Fiscalis congefferat, refellendo; interea loci, uti Advocatis mos est, non mediocriter Fiscalem exagitant.

ASSESSOR ALTER.

Johann Henrich Remmers personam judicis subimentis induet, qui de lege ipsa, quam officii ratione defendere deberet, subdubitare incipiet; nihilo tamen minus sententiam in judicio latam, cum consensu Præsidis, qui interloquetur, prælegendam curabit.

ACTUARIUS.

August Friderich Cartier è scripto leget sententiam, qua C. Lentulus absolvitur, & postquam ex arbore infami est sublatus, honesta sepultura, sumtu publico, efferi jubetur.

SCHOLÆ CLAGENFURTENSIS COLLEGA.

Paul Wilhelm Tamm pullo vestiti indutus orationem funebrem, lingua vernacula, habebit.

PRÆSES JUDICII.

Johann Friderich Brand consuetudinem Clagenfurtensem laudabit, argumentis ab antiquitate, utilitate & æquitate sumtis; eamque ab id adeo in civitate retinendam esse, svadebit.

LEGATUS ARCHIDUCIS CARINTHIÆ.

Henrich Balemann eandem consuetudinem vituperat.

perabit, & jussu Archiducis Maximiliani publice & solenniter abrogabit.

In EPILOGO.

August Henrich Bromberg comparationem inter judicia, quæ in foro exercentur, & illud, quod in fine mundi aliquando erit habendum, breviter instituet; errores declamantium excusabit; & ubi Deo Opt. Max atq; toti auditorio gratias egit immortales, optima quæq; omnibus & singulis Clagenfurtini judicii spectatoribus apprecabitur.

Nihil restat, nisi ut TE, Lector honoratissime, etiam atq; etiam enixe ea, quæ par est, observantia rogem, obsecremq; velis hoc nobis gratiæ dare, quod petimus & efflagitamus, ut crastini hora nona antemeridiana, in auditorio nostro, honorifica Tua præsentia actum hunc exornes, frequentia studium adolescentiæ excites, eiq; ad majores conatus singulari Tuo favore calcar addas.

Quod si feceris, quod TE facturum speramus & plane confidimus, tantum à cætu Scholastico gratiam inibis, quantum lingua ipsi coram vix deprædicare possunt. Ego vero vel simili, vel alio quovis officiorum genere, quod à me poterit expectari, quacunq; data occasione, quam gratum hoc mihi fuerit, significare nunquam intermittam.

00 A 6277 (1/40) ✓

ULB Halle 3
002 837 331



TA-OL

v. p. 18

Revo ✓





B.I.G.

Farbkarte #13

37

B. V.
GRAMMA,
vo
DISS. ET GE.
IOS DOMINOS
ONOS,
eliquos
FAUTORES, ET BONA-
IM AESTIMATORES,
Ad
MORA-
RIUM,
De
FURTINO
DICIO,
nine furti,
Anni M. DCC. X.
Michaëlitana
praclaræ spei discipulis,
gina sequenti legantur,
habendum,
eramenter invitat
him Elfeld, Rector.
lteris Johannis Sternii,

K 39.

